



1. Rous / Joh. Reinh. / diff. de serpente se-
ductore non naturali sed solo simbolo
iend 1712.
2. — diff. de variis Modis in Montem Sinai
ascensu iend 1716.
3. — diff. de judaea rebus gestis et
miraculis Christi c'lara iend 1733.
4. — diff. de veris scetatoris Jesu Christi
requisitis iend 1733.
5. Rurmeyer / Mich. Christ. / diff. de stana
ne, viro sancto, tribus Levi, typo
Christi, Goyphicis 1738.
6. Bauerbreij / Joh. / diff. de Deo uno et
trino 1648.
7. Schacheri / Jo. Jac. / diff. de septem Spiri-
tibus a Joh. Theologo celebratis
Lipsia 1736.
8. Schelzuigg / Sam. / diff. de dono fidei
justificantis, 1739.

COLLEGII THEOLOGORUM
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
H. T.

DECANUS
GEORG. FRIDER.
SCHROEER

S. S. Theol. Doctor ejusdemque Prof. Publ.
& Alum. Reg. Elector. Ephorus
LECTURIS SALUTEM PLURIMAM
DICIT



COLLEGIUM THEOLOGICUM
ACADEMIAE VITIMBERGENSIS
H. T.
DECANUS
GEORG. FRIDER.
SCHROEFER
S. S. Theol. Doctor eiusdemque Prol. Publ.
& Alum. Reg. Elector. Episcopus
LECTURIS SALUTEM PLURIMAM
DIGN.



ides Christiana, quae vocatur iustifi-
cans, res est recondita & penitus
abstrusa, quam ψυχικός άνθρωπος
nec ratione cernere, nec viribus
consequi potest humanis. Nam
ταύτό ἐστι, ait Christus a) τὸ ἔργον τῆ
θεῶ, ἵνα πιστεύσῃτε εἰς αὐτὸν ἀπέσταλ-
μένον. (Bene Augustinus: Non dixit
Christus, hoc est opus vestrum, sed hoc est
opus Dei, ut credaris in eum &c. b) ἔ, ἡ πίσ-
τις, inquit Paulus, c) ἔ, ἀκοῆς ἢ δεῦρα διὰ πνεύματος θεῶ. Natura igitur, rerum
divinarum ignara, non potest noticia mysteriorum, quae
prima Fidei iustificantis quasi pars est, instruere ho-
minem, nec fidem inchoare iustificantem. Hoc re ipsa
demonstrat Justinus Martyr, vel Autor Epistolae ad Dio-
gnetum. d) Num quis, ait, ex omnibus hominibus norat, quid
esset Deus, priusquam Dei Filius venisset &c. Offendit autem
per fidem, cui soli Deum videre concessum est. Deus non
tantum autor est intelligentiae rerum divinarum, verum
etiam assensionis, qua mysteria, quae aperuit Deus,
comprobamus. Nam ratio, naturae indagatrix, si omnia
iudicio ejus permittuntur, a Theologis, mysteria divina
ante omnium oculos aperta ponentibus, maxime dis-
juncta atque contraria dici, arbitratur. τὸ τῆ πνεύματος
dicit Paulus, e) μυστήρια ψυχικῶ ἀνθρώπου ἐστὶ, ἔ, ἔ δυνάται γινώ-
σκειν &c. Nostra sententia manu quasi tentari potest, si ar-
gumentis nostris adjungimus exempla, & animo confide-
ramus iudicia, quae de mysteriis fecerunt Samosateni
Ariani, Sociniani & reliqui Trinitatis & Christi inimici.

a 2

Illi

a) Jo. 6; 29. b) Tom. 9. Oper. Expos. in Jos. tract. 25. p. 218. edit.
Frob. c) Rom. 10. 17. d) p. 385. e) 1. Cor. 2; 14.

Illi enim non ignorarunt amplissima testimonia, quibus doctrinam sanctam & divinam confirmarunt Patres, in sententias autem Ecclesiae purioris ire, cum Patribus sentire, & imperium coecae rationis detrectare noluerunt. Nulla quoque ratione potest commoveri *ἡ σοφία ἀνθρώπων*, ut in illam rem, qua nihil ipsi videtur absurdius, suam collocet fiduciam, & de hac etiam, quoniam *ἡ πίστις ἐργον τῆς θεῆς*, non potest gloriari. Si res naturalis esset fides, Gentiles, si non omnes, aliqui tamen sapientes, qui amplexi sunt virtutes, fidem consequuti essent Christianam. *Theognis* quidem laudat fidem, & *Plato* vocat illam fidelitatem & justitiam perfectam, & hanc virtutem, quam *Plato* vocat summam, non improbat *Ensebins*. f) Hominem autem ethnicum fide justificante, quae, missis argumentis naturalibus, quibus ratio innititur, autoritate tantum divina fulcit animam, & res divinas ei accommodat, fuisse unquam praeditum, nullo testimonio, vel divino, vel humano, nulloque exemplo potest probari. *Julianus Apostata*, in Theologia ethnica non mediocriter versatus, ridebat fidem christianam, dicens: *Nostri sunt sermones, & nostrum Graecari, utpote quorum etiam sit Deus venerari. Vestra autem est ἡ ἀλογία*, interprete Billio, *infantia & rusticitas, nec quicquam aliud, quam crede, sapientiae vestrae est; argumentum autem divinum, quod verbo, Crede, comprehendunt Christiani, rectius explicavit Nazianzenus, g) hoc sermone, dicens, id intelligimus, non licere iis, quae ab hominibus, divino numine afflatis, dicta sunt, fidem abrogare, verum pro sermonis & doctrinae confirmatione illorum auctoritatem esse omni logica facultate & contradictione validiorem. Charrin autem, Naturalista, probaturus, fidem rem naturalem esse, ipsamet fides, inquit h) nos vel in morem aliorum populorum, vel in ipsam naturam & rationem manu denu ducit. Religio Christiana & mores, ceremoniaequae populorum sunt res variae, maximeque diversae, & fides justificans dijudicat ac distingvit religionem veram ab omni superstitione*

f) in Praeparat. Evangel. p. 574. sq. g) t. I. Orat. 3. p. 97. h) P. 2. de Relig. Natur. c. 7. p. 285.

tione, ad naturam vero, quae non aperit divina mysteria, & ad rationem, quae Evangelium, nisi Christi imperio subjiciatur, putat esse stultitiam, non adducit hominem. i) Recte Hilarius: k) *Nihil in divinis effectibus humanae mentis opinione tractandum est. Assumenda est nobis stultitia, ut sapientiam sumamus, non imprudentiae sensu, sed naturae nostrae conscientia: ut, quod cognitionis terrenae ratio non concipit, id nobis rursus ratio divinae virtutis insinuet. Cum enim, recognita stultitiae nostrae intelligentia, imperitiam naturalis in nobis imprudentiae senserimus, tum per divinae sapientiae prudentiam ad Dei sapientiam imbuemur. Hoc solum de Deo bene credi intelligimus, ad quod de se credendum ipse sibi nobiscum & testis & autor existit. Fidem christianam naturalem esse, his argumentis probare conatur Chauvin, Primum, inquit, quidem constat, nos ab nostris inimicis vocatos fuisse credulos; sed si nos ipsos consulamus, comperiemus corda nostra sponte patere anilibus fabulis, ut qui credulitati naturae nostrae obnoxii simus, tum ex nostra imbecillitate, tum ex rei insolentis admiratione. Quo fit, ut Pagani suos liberos a pueris informarent Deorum fabulis, quae eorum catechests erant. Impiam de fide & Christianis opinionem Gentiles habuisse, his verbis: Hoc nonnulli persuasum habent, disciplinae Christianae professionem nulla posse ratione defendi, sed qui nomen illud amplectuntur, eos, quod semel visum fuerit, inconsiderata fide, negligentius ac temeraria quadam assensione comprobare &c. restificatus est Eusebius. l) Hoc iudicium, quod hostes Christianorum pronuntiant, corruptum & iniquum, non potest imminuere auctoritatem veritatis, gloriam fidei & dignitatem Christianorum. Fides Christiana magnam a credulitate habet dissimilitudinem. Creduli, teste Cicerone, coeunt societatem stultorum; Credentes vero sapientes vocavit DEI Spiritus. Constat quidem inter omnes, quosdam Doctores fidem credulitatem dixisse. Nemesianus, Dativus, Felix & Victor se fructus uberes ex tractatibus Cypriani cepisse, his indicantur verbis: m) *Nos in fide facti crescere & de seculo ho-**

i) 1. Cor. I, 19. 20. 21. k) T. 3. de Trinitate n. 26, p. 824. l) L. I. de Praeparat. Evang. c. I. p. 3. m) Epist. 77. edit. Fill. p. 330.

mines ad credulitatem accedere, & *Salvianus* ait: n) *Quid est credulitas vel fides?* Hi vero alieni sunt a Naturalistis, qui credulitatem in numerum vitiorum referunt. Responsum, quod olim *Manichaeis* dedit *Augustinus* o) reddimus *Chauvin*: *Non hic fama de fumo est, & nescio qua fabella Persica, cui satis est, aurem accommodare, & animum non subtilem, sed plane puerilem. Longe omnino, longe se aliter, quam ut Manichaei (Naturalistae) desipiunt, veritas habet.* Sancti Viri nullas confecerunt fabulas, sed libros conscripserunt divinos, Legem, quam promulgavit DEUS, moralem & Evangelium, quod omnes nostrae salutis cingit causas, iusu divino ante omnium hominum oculos posuerunt. Amor DEI erga homines incredibilis, CHRISTUS, mundi Messias, & ea omnia, quae gessit bene & feliciter, salusque, meritis Christi recuperata, non sunt res commentitiae, quas admiratur credulus, sapiens vero spernit & funditus repudiat. Si vero illa omnia res sunt divinae, quae hominibus ideo debent accommodari, ut isti, sanguine Christi tincti, in conspectu summi Numinis adfrent iusti, non sunt creduli homines, sed credentes, qui, fide vera praediti, omnia Christi merita possunt sua facere, & futuram gloriam consequi. Pagani, ethnica theologia, quae ex fabulis constat, imbuti, dicuntur recte creduli, cum qua nulla Theologiae Christianae, divina tantum autoritate innixae, est similitudo. Si vero una eademque ethnicae & Christianae Doctrinae est autoritas, & *Chauvin* abjicit utramque, nec ethnicus est, nec Christianus vocari meretur. Fidem justificantem vocat *Paulus* p) ἰσχυρὰ καὶ ἀνεπισημασμένη ἰσχυρὰ ἰσχυρὰ nullus Interpres credulitatem dicere ausus est. A *Latino*, & ab illis, qui Latinum sequuntur, substantia; a *Castalione*, subjectio; ab *Hunnio*, basis & fundamentum; a *Calvino*, fultura vel possessio, in qua pedem figimus; a *Schmidio*, *Gomaro*, id, quo aliquid extat, quod autoritate *Lactantii* probat *Heinsius* q) a *Coccejo*, pollicitatio aut repraesentatio; a *Wittichio*, id, quo stru-
 minan-

n) L. 3. de Gubernat. p. 44. o) T. 6. Oper. libr. uno contr. Manich. p. 116. p) Hebr. 11, 1. (q) in Exercit. sacris p. 570.

minantur, five stabiliuntur sperata; a *Grotio*, firma expectatio, ab *Hammondo* fiducia; a *Calovio*, cum quo statuo, firma mentis & cordis subsistentia. ἔλεγχος & a multis vocatur argumentum, ab alijs demonstratio, a veteribus Graecis, quos allegavit *Wittichius* r) atque a veteribus Latinis, vid. *Estius*, s) convictio nominatur. Hinc natura Fidei demonstrat fati, Fidem esse fiduciam, credulitati, cujus humana imbecillitas & res insolentes possunt esse causae, oppositam, quae non fabulis dubiis & incertis, sed divina veritate, quae omnem homini tollit dubitationem, unice fundatur. Fides autem, inquit *Chauvin*, constat ex spiritualibus quibusdam, sensus fugientibus, ac sensibilibus rebus, quae & pariter in exoticas disciplinas cadunt. Nam cum *Aristotelem* amplectimur, primum quidem credimus, illum olim fuisse, sed postmodum nostra *Aristoteli* fides in eo potissimum sita est, ut, quae dixerit, mente retineamus, ac illius praecepta sequamur. Qualis fides pariter Christianis est tribuenda, ut quae constet ex insensibilibus ac jam dudum practicis, aut sit futurorum, quae in coelis occluduntur, ἔλεγχος. Fides constat ex notitia rerum divinarum, assensu atque fiducia, atque est ἔλεγχος ἡ βλεπομένη. τὰ ἐνφανόμενα intuetur ψυχῆς ἀνθρώπου, & quae aspectu percipit, cum omni ratione animoque perlustrat, atque a sensibus remota, quae *Philosophus* vocat abstracta, & spiritus, quos natura ostendit, secum considerat & contempletur, sed ἡ τὰ βλεπόμενα sunt τὰ τῷ πνεύματι τῷ θεῷ, quae tantum mens fide donata cognoscit t) quorum notiones Verbi divini virtute in animis illorum, qui fide donantur, consignat DEI Spiritus. Christus quidem olim ante oculos Judaeorum pariter ac Gentilium versatus est, & illi omnes verum tantum hominem viderunt, & perpexerunt; Illi vero homines, quorum animos verbo suo collustravit, fideque donavit Christus, ea, quae sunt Christi, Personam & merita ejus, quae aspectu sentiri nequeunt, fide amplexati sunt. Ex his cognoscat *Chauvin* magnam

r) In Investig. Epist. Hebr. p. 399. s) in Comment. t) 1. Cor. 5, 12. & 16.

gnam Christi & Aristotelis, hominis animalis & spiritua-
 lis, scientiae Philosophicae, fidei historicae & fidei justi-
 ficantis, rerum, ab Aristotele gestarum, librorumque, ab illo
 conscriptorum, & fidei capitum, dissimilitudinem. Porro
 argumentatur *Chavvii*: *Tertio tandem illa ipsa fides in*
naturam tota resolvitur, quoniam illa commendat omnia vir-
tutum praecepta, quae in Evangelio dispersa sunt. Nam tota
nostra vita in virtutis exercitio posita est, ut volebat D. Chry-
sostomus, vel vim Christianae nostrae professionis abnegamus, si
ab illa tantisper recedamus. Fides est causa charitatis, &
 omnium, quae DEO perplacent, operum, in *naturam vero*
non revolvitur fides, quae virtute, qua pollet, incredibili,
 virtutes, Christiano nomine dignas, inchoat, ejusque vi-
 ram ad normam Decalogi, quem non intelligit *ψυχὴς*
ἀνθρώπων, dirigit. Hinc totius Naturae fines transcen-
 dunt fides, bonorum operum causa, virtus ejus, operatio
 & pietas Christiana. Tota Christianorum vita dicitur, a
 quibusdam Patribus, virtutis exercitatio, & semper augen-
 dae sunt virtutum Theologicarum exercitationes, quae fi-
 dei vivae sint argumenta. Totum vero vitae, utar stylo
 Philosophico, non est mera virtutum Theologicarum,
 quae a virtutibus ethicis non parum differunt, exercitatio,
 Evangelium enim Christi, a lege diversum, ait *Paulus*,
 est potentia DEI ad salutem omni credenti. u) & omnis,
 dicit *Joannes*, x) qui credit in Filium DEI, quem ignorat
 Natura, non debet perire, sed vitam aeternam habere.
 Nostrae sententiae subscribit, Vir maxime Reverendus
 & Amplissimus, Dominus M. CHRISTOPHORUS
 LUDOVICUS STIEGLITZ S. S. Theo-
 logiae Candidatus, Membrum Reverendi Ministerii *Nun-*
burgensis meritorum laude conspicuum & ad aedem D.
 Venceslai Archi-Diaconus, Vir, doctrinis non tantum
 rerum humanarum, verum etiam divinarum instru-
 ctior, cujus virtutes & eruditio ex his literis, quas ad no-
 strum dedit Collegium, possunt cognosci.

Ego

u) Rom. I. x) Jo. III, 16.

Ego M. CHRISTOPHORUS LUDOVICUS

Stieglis / lucem hanc primum aspexi, Lipsiæ, Urbe,
Academiae celebritate, aedificiorum splendore, commercio-
rum frequentia, perillustri, Anno Seculi superioris septimo
& octogesimo, Mensis Octobris die XIX, Patrem natus,
antiqua virtute fideque Virum, **CONRADUM**
Stieglis / Curiae supremæ Provinc. Procuratorem
& Advocatum ordinarium, sui que ordinis Seniore,em,
septuagenario majorem, Matrem vero spectatæ integritatis
probataeque virtutis feminam, **DOROTHEAM**,
Filiam **LAURENTII TAUBERTI**, Civis & mercatoris
Lipsiensis haud incelebris, nunc coelo recepti. Hi optimi
Parentes, officii nihil, aut curae, in erudiendo me, prae-
termiserunt, quippe quem, post prima pietatis & literarum
fundamenta, domi, sub privatorum institutione Magistrorum,
posita, aetatis duodecimum vix ingressum, in Scholam
Senatoriam, ad Divam Nicolai, ablegarunt, iis ut imbue-
rer doctrinis, quibus puerilis aetas debet impertiri. Ibi,
fidelissima, **MEISTERI**, **CRELLII**, **KEILHACERI**,
PONICAVII, aliorumque, in docendo dexteritate, feli-
citer adolevi, concredius deinceps privatisimae institutioni,
Cl. ERHARDI, erudiendae juvenutis longe peritissimi
Magistri, nunc SS. Theol. Baccalarei Lipsiensis dignissimi,
& item **ZEISKII**, Rectoris Ludi Soraviensis Lusatorum,
hodie praeclare merentis, qui sane ambo, in me perpolien-
do, instruendoque, singularem plane fidem comprobaverunt,
certam nec fallentem ostendentes viam, qua ad cognitionem
elegantioris doctrinae facilius penetrarem. Ab his igitur
duumviris bene tinctus, A. clo lo CCIV, Mense Junio, in
Academiae Patriae tabulas sum relatus, ab Rectore
tunc temporis Magnifico, **CHRISTOPHORO PFAU-
ZIO**, Mathematicum Doctore publico percelebri, nunc divo.

b

Ex

*Ex eo tempore id meditatus sum ante omnia, quo modo pruden-
 ter literarum rationes constituerem, & eruditionis, vel prae-
 sidia, vel ornamenta, quae ab Humanitatis & Philoso-
 phiae doctrina petuntur, mihi compararem. Quo quidem
 Consilio in Philosophiae studium, doctoribus celeberrimis,
 HARDIO in primis & GODOFREDO OLEARIO,
 Theologo & Philosopho excellentissimo, diligenter incum-
 bere coepi. Neque adiumenta valetudinis ex Arte Medi-
 ca neglexi, quae in Scholis SCHAMBERGERI & SCHA-
 CHERI, Doctorum in arte saluari celeberrimorum, avide
 hausit. In hoc industriae campo, cum legitima confecissem
 spatia, animum ad diviniorem illius doctrinae disciplinas, con-
 verti. Quo circa linguas didici in oriente natas, praecuranti-
 bus, Cl. BLOSSIO, doctrinae hujus peritissimo, lycei
 Numburgensis Rectore solertissimo dexterrimoque, ipsoque
 Maxime Vener. JOANNE BENEDICT. CARPZOVIO,
 juniore, Pastore hodie Nosocomii Lipsiensis & Prof. LL.
 Orientis Extraord. meritis egregio, in cujus scholis, intra
 parietes & quasi velum, per duorum, & amplius, annorum
 spatium, continuata studii & industriae contentione, per-
 mansi. In Graecis Literis incomparabilem HERRICHUM
 adire datum fuit, qui, & Graeciae veteris scriptores legendi,
 & veram germanamque linguae hujus tractandae rationem
 plane solideque commonstravit. In Eloquentia sacra ma-
 xime Venerando L. WERNERO V. D. M. & Doct.
 JOANNI GUNTHERO in disciplinam me dedi, confir-
 matus deinceps magis magisque ab incomparabili, hac in
 doctrina, Theologorum Pari, Excell. D. SCHUZIO, ac
 Summe Venerabili D. PIPRINGIO, magno illo Dresden-
 sum Praesule, quem mortalium non amplius superesse rebus,
 Saxonia nostra etiam nunc dolet. Tali modo sic tandem pro-
 feci, ut Collegio Homiletico, quod Maximum dicunt
 Lipsienses, quodque perpetuo florere sinat Nomen Benignum,*

non sine ingenti fructu, interesse possem, id quod animo grato
 nunquam non ingenue profitebor. Postquam priorem in
 Philosophia Lauream, A. cl. l. CCVI, impetraueram,
 quo tempore supra laudatus GODOFREDUS OLEA-
 RIUS, honorum in studio Sapientiae praemia dilargiebatur,
 Locum publice inter Philosophiae Baccalaureos, praesidi-
 endo, prensare sum ausus, habita mox alia, sub Praesidio
 eiusdem celeb. OLEARII, de Κοινωνία cum Christo &
 Daemoniis, ex 1. Cor. XI, disputatione. Anno huius seculi
 septimo, die 4. Februarii, Philosophiae Magistri honori-
 bus ac privilegiis, ab Incluo Sapientum ordine, modeste am-
 biens, sum auctus ornatusque. Ne tunc autem negligere
 quicquam viderer, quod aut Legibus, aut consuetudini
 consentaneum esset, A. cl. l. CCIX, locum mihi inter illos,
 qui potestate gaudent publice docendi, habita rursus, de No-
 mine Τετρωγυμνίατος Πηρι, Dissertatione, praesidendo,
 patefeci, quo ipso viros ad docendum alios conferendo, iuue-
 nibus discendi cupidis, adjumento esse coepi. Hisce peractis
 animum ad sacrae doctrinae disciplinas, quibus me a teneris
 mancipavi, totum adieci, ideoque Praelectionibus interfui
 OLEARII SENI, ITTIGII, SELIGMANNI, GUN-
 THERI, SCHMIDII, WEISII, (quos duos postremos,
 ex omni, tum temporis in Academia docentium, numero,
 saluos superesse, gaudeo, & ut quam diutissime in Eccle-
 siae emolumentum supersint porro, Deum pie veneror.)
 qui singula doctrinae sanctioris capita, plus semel examinan-
 do, oppugnando, disputando, diligenter repetendo, in me
 confirmarunt. Quibus rebus omnibus factum est, ut, A.
 cl. l. CCVIII, die VI. Junii, laudato jam saepius
 GOD. OLEARIO, Praeside, cui per tempus il-
 lud publice Theologiam docendi injunctum erat mu-
 nus, duas Disputationes Theologicas, alteram,
 in Evangel. Matthaei, cap. XI, comm. X, contra Socinianos,

alteram in c. XII, comm. III - VIII, ex Cathedra publica, defendere non dubitarim. Interim Wittembergensi etiam Academiae aliquid dandum esse temporis, putabam, quippe quam & patriae meae vicinam esse, & Musarum, puriorisque Religionis, sedem longe celeberrimam fuisse semper, haud ignorarem. Quare, Anno Seculi hujus nono, Annos duos natus & viginti, illustrem hanc Leucoream, non sine felicibus laetisque omnibus salutavi, vel perfecturus ea, quae coeperam, vel suppleturus, quae deerant, ibique Pro-Rettore Magnifico, GEORGIO BEYERO, Jur. Antecessore celeberrimo, Ordinisque sui t. t. Decano, Civium Academicorum numero ascriptus, nihil eorum omisi, quae ad comparandam variae solidaeque doctrinae copiam facere posse videbantur. Quo consilio Scholas sanctiores, immortaliolum, famaque & meritorum existimatione insignium, Theologorum, B. NEVMANNI, cujus & convictu, & consuetudine domestica, usque ad obitum ejus, gaudebam, Venerab. item LOESCHERI, tum Senioris, tum Junioris illius, qui, tunc Wittembergam, nunc omnem Saxoniam meritorum suorum amplitudine illustrat, aliorumque adire diligenter, consultum putavi. In Antitheticis incomparabilem FEVSTKINGIVM, in illis, quae Scripturae interpretationem, morumque emendandorum doctrinam, tradunt, praelectionibus, Excell. CHLADENIVM, τῆς ὡν ἐν ἁγίοις, quotidie explicantes, magna cum contentione, quoad licuit, sectatus sum. Inprimis vero CHLADENII Benevolentiam erga me semper sensi prorsus singularem, quemadmodum etiam, ut in illius convictum per biennium reciperer, facile obtinui, quod utrumque, post fata illius, non possum non adhuc grata mente animoque praedicare, cum praesertim persolvendi facultas alioqui longe mihi difficillima foret. Vix tamen quemquam vel studiosius audiui, vel magis sum admiratus, quam illum Academiae huius

Alba-

Athanasium, Magnif. WERNSDORFFIUM, Virum
divinas humanasque scientias ingenio suo vastissimo comple-
xum, cui innotuisse me propius, in parte felicitatis non po-
strema repono. Hujus enim ab ore quotidie pendebar, hu-
jus Scholas, sive Institutiones doctrinae Christianae
purioris, sive Anti-Fanaticas, sive Antiquitates sa-
cras, traderet, multo cupidissime avidissimeque sum secu-
tus. Inprimis vero, jucunda mihi & pergrata est temporis
illius memoria, quo, intra privatos parietes, erudiri
concessum fuit ab eo, cujus ab latere, nisi doctior, fere nun-
quam discedere sum mihi visus. Atque, hic equidem simul
extollere debeo singularem prorsus Theologi illius excellen-
tissimi benevolentiam, voluntatemque propensissimam, qua
mihi non aliter, ac Filio, per ipsos octo annos, licuit frui,
immutata nunquam, nedum immutata, adeo, ut, Ejus do-
ctrinae, consiliis, auxiliis, fortunamque meam amplificandi
studio, tantum me debere, ingenue profitear & libens, quan-
tum hominem homini debere, vix fas est. Ne vero quicquam
temere omiterem, quod a me desiderari posses, hanc ob rem
A. c18 lccc X, IV. Cal. Majas, Praeside laudato WERNSDORFFIO, recentiores, de S. Coena Domini, con-
troversias, in Cathedra divi Lutheri disceptandas, proposui.
Annoque insequente, Nomen & Privilegia, Candidati
Theologiae, ab summe Vener. Theologorum Ordine, rite
impetravi, confirmatamque mihi hoc pacto sensi potestatem
aperiendi Scholas Theologicas, postquam Locum, in-
ter Candidatos Theologiae, disputatione quadam solenni,
Praeside Magnifico CHLADENIO, speciminis publici loco,
essem adeptus, quas quidem Scholas, DEO sic favente, tan-
tum non certatim, ab optimis quibusque civibus Academicis,
fuisse frequentatas, ut vel Decem diei horae interdum
vix suffecerint, sine ulla jactantiae labe confirmare possim.
Verum, nec in hoc acquiescendum esse, putavi, animumque

potius, quantum per temporis rationem permiffum fuit, ad
alia monimenta doctrinae sacrae, edenda applicui, cujusmo-
di sunt, Philadelphianifmus Berentianus, Vnioni, a Re-
formatis toties tentatae, oppofitus, Amica admonitio ad
LYSIVM, Pastorem Berolinensem, propter aberrantem
ipfius, de immediata, post canonem claufum adhuc hodie ex-
pectanda, Revelatione Divina, opinionem, Responfio item
ad eundem, in hac eadem controversia, Replicatio deni-
que ad eundem **LYSIVM**, qua etiam ultima controversiae
ipfi manus addita fuit, sermone patrio per scripta. Ut ta-
ceam alia privatae industriae Scripta, nominatim, Homi-
lias Germanicas, in utramque D. Pauli ad Theffaloni-
censes, Epistolam, Commentationibus meis perpetuis illustra-
tam, Electa item Theologica, quae adhuc sub incude
candent. Neque vero illud praetereundum mihi temere est,
feu gratiae singularis, feu felicitatis hanc vulgaris, documen-
tum, me plus semel ab **AVGVSTA**, Divi **JO-**
ANNIS GEORGII III, Electoris Sa-
xonis, gloriosiffimae recordationis, relicta **VIDUA**,
Lichtemburgum, ab Sereniffimo item Duce Regente
Leucopetraeo, **CHRISTIANO** illo, vere Chriftia-
no, incorruptaeque Religionis Lutheranae Tutore ac Vindice
cordatiffimo, **Friburgum**, praeterea quoque, a Sereniffimo
CAROLO GUILIELMO, Principe ac Duce
Regente Anhaltino, veterem illam **Auguftam Sora-**
borum, tandem a Sereniffima Principe Anhaltina **Co-**
thenenfi, **Niemburgum**, ad Sermones, pro roftris
facris publice habendos, esse accerfitum. Anno Seculi hu-
jus **XIII**, coram Senatu Ecclefiaftico, **Dreftae** ad Examen
Confvetum, rite subeundum, me fiftere non dubitavi, ne-
que repulfam tuli. Ab eo tempore primas curas collocavi

in hoc, ut praeter alia eruditionis ornamenta, etiam illa, quae, ab Historia literaria nomen habent, mihi vel compararem, vel adaugerem. Ampliorem igitur in hoc literarum campo ingenii vires explicandi nactus sum occasionem, postquam Illustri MENCKENIO, cujus auspiciis Acta Eruditorum Lipsiae prodeunt, operam meam qualemcumque & studium, in concinnandis hisce Ephemeridibus literariis, una cum aliis, praestare, concessum fuit. In quibus ego omnibus, dum, pro viribus, versarer, non sine singulari Numinis Divini, sapienter res mortalium dispensantis, consilio nutaque contigit, ut, praeter alia, quae oblata mihi non sunt una, ministerii Ecclesiastici, imo in Academiis, munia, quaeque modesto hic silentio praeterire malo, A. c. 1700 c. xvii, haud ita diu, post summe venerandi CADEMANNI, ad aliud munus, abutum, ascendente III, verbi divini, in aede D. Venceslai, ministro, in ipsius locum, concordibus ad unum fere omnium suffragiis, dispensante Inchyto Senatu Naumburgensi, praeter spem omnem & expectationem, legitime surrogarer. Post neque ita multo, admodum Venerando WEISIO, Archi-Diacono, eodemque Socero meo, rebus humanis exemplo, hebdomadis nondum sexdecim elapsis, facta succedendi copia, medium Diaconatus, qui vocatur, locum, sum nactus. Post quinquennium vero, Anno nimirum 1705 CCXXIII, die XXI. Octobr. a commemorato munere, ad obeundas, in eadem Aede, Archi-Diaconi partes, post FLEUTERI, Viri ad eloquentiam vere nati, facti, munus, Oratoris sacri in aula Vimarisiensi, suscipiendum, hinc evocati, sum delectus. In quo munere sacro, rite fungendo, nihil mihi prius, nihil fuit antiquius, nisi gloriam Divini Nominis amplificare, meamque & auditorum, doctrinae integritate, ac vitae, morumque innocentia, salutem promovere. Quemadmodum vero, ut ex hisce singulis jam praedictis, haud obscure colligere licet, singularem quandam

DEI

DEI gratiam, tantum non ubique, & omnibus in rebus
persens, ita Numen eiusdem supplex ueneror, ut in posterum,
mibi quoque mentis, animique & corporis, vires largiatur
eas, quas, & numeris sanctissimi ratio, & communis, tot
mibi commissorum hominum, spes & expectatio a me requi-
runt. Ceterum, quo hunc etiam locum autoritate possim
maiori ornare, simulque iussibus obsequar, ab Senatu amplis-
simo acceptis, nomen meum apud Summe Vener. Ord. Theol.
professus sum, &, ut Honores Theologici, more rituque
solenni, mibi decernerentur, modeste ab Illo petere nihil
dubitavi.

Ordo noster desiderium Viri, omni virtute ornati, divi-
nisque literis eruditi, explere decrevit, illique Theolo-
giae Candidato Optimo dedit facultatem publice cursum
inchoandi speciminum. Cras igitur hora IX. publice ha-
bebit orationem, de *Syncretismo Religionum*. Oratori, apte,
ornate, distincteque dicturo, ut Magnificus Academiae
Rektor, Perillustres Domini, Comes & Liber Baro, Patres
Conscripti, Doctores & Licentiati, Rever. Ecclesiae Mini-
stri, Ordin. Philos. Adfessores, & Cives Academici
benevolas aures praebeant, Collegii Theologici nomine,
ea, quae par est, humanitate rogo atque contendo.
P. P. d. 24. Jun. A. MDCCXXVI.

V I T E M B E R G A E,
EX OFFICINA GERDESIANA.

94 A 7376

ULB Halle
003 263 55X

3




Reho

VO 17

Mi. 50.





30

COLLEGI THEOLOGORUM
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
H. T.
DECANUS
GEORG. FRIDER.
SCHROEER

S. S. Theol. Doctor ejusdemque Prof. Publ.
& Alum. Reg. Elector. Ephorus
LECTURIS SALUTEM PLURIMAM
DICIT

